

APPENDIX.

DE DEO CREATORE

EX OPUSCULIS

R. P. LEONARDI LESSII S. J.

PROPOSITIO I.

DEUS EST RATIO OMNIS POSSIBILITATIS INTRINSECÆ ET EXTRINSECÆ.

Infininitudo divinæ essentiæ est omnis perfectionis et entitatis simplicissima et eminentissima complexio. Dico *omnis perfectionis*, non solum increatæ, sed etiam creatæ. Quidquid enim est bonitatis, pulchritudinis, perfectionis, entitatis in creaturis, id totum multo perfectius et copiosius continetur in Deo. Unde merito D. GREG. NAZ. Orat. 38. in Natalitia n. 7. de Deo loquens ait: Ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὸν ἔχει τὸ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσόμενον, ὅλον τι πέλαγος οὐσίας ἀπειρον καὶ ἀόριστον. *Universum esse in seipso nunquam inceptum, nunquam desitutum, complexus continet, tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus.* Optime *pelagus essentiæ*, quia infinita essentiarum, specierum et perfectionum multitudo et varietas ibi reperitur, et eminentissime continetur. Ob eandem causam a veteribus Philosophis vocatus est Deus τὸ πᾶν, id est, *universum*, ut docet EUGUBIUS (de perenni Philosophia, Lib. 3. cap. 8.), quia universa quæ aliquo modo esse participant complectitur. Et in oraculo illo, *Magnus Pan mortuus est* (cujus meminit Plutarchus in L. de oraculorum defectu), Christus vocatur *Magnus Pan*, ut quidam volunt, quia est omnium Dominus, et omnia in se continet; etsi alii aliter illud intelligant. Eodem juxta multorum interpretationem pertinet illud quod Dominus ait Moysi (Exod. 33.): *Ego ostendam omne bonum tibi*, nimirum quia in Deo sunt omnia. Pulchre in hanc sententiam GREGORIUS NAZIANZENSIS in quodam carmine: (L. 4. sect. 1. carm. 29. al. 168.)

Σοὶ ἐνὶ πάντα μένει· σοὶ δ' ἀθρόα πάντα θοάζει.
Καὶ πάντων τέλος ἐσσί, καὶ εἷς, καὶ πάντα, καὶ οὐδέν,
Οὐχ ἐν ἔδῳ, οὐ πάντα· πανώνυμε, πῶς σε καλέσω,
Τὸν μόνον ἀκλήϊστον;

*In te omnia permanent, ad te confestim festinant omnia.
Tu omnium finis, tu unus et omnia, et nihil rerum,
Cum neque unum sis, neque omnia; quem te appellem,
Qui solus innominabilis, et omninomius?*

Dicitur esse *omnia*, quia omnia in ipso continentur, ita ut sit omnia formaliter vel eminenter. Dicitur esse *nihil rerum*, quia est supra omnia quæ a

nobis concipi possunt. Simili modo dicitur *innominabilis* et *omnino* : etsi enim plurimis nominibus appelletur, ut a nobis aliquomodo concipi possit, nullum tamen nomen nullaque conceptio nostra illum exprimere potest prout est in seipso. (De Perfectionibus divinis, L. 1. c. 1. n. 5.)

2. Sicut Deus per essentiae suae infinitatem est fundamentum omnis creaturae possibilis, et per immensitatem omnis loci et extensionis possibilis; ita per aeternitatem est fundamentum omnis temporis et durationis successivae possibilis. Nisi enim illa essent in Deo reipsa, haec non haberent ullo modo esse objectivum et intelligibile : nam etiam in esse objectivo habent essentialem dependentiam ab illis perfectionibus divinis. Ideo enim infinitae sunt rerum species possibiles, quia essentia divina per suam infinitatem infinitis modis est communicabilis : ideo spatium immensum est imaginabile, quia divina essentia per suam immensitatem illud quasi expandit; vel potius quia ipsa est spatium immensum fundamentale, cui aliud scilicet corporeum coextendi potest. Denique ideo tempus retro infinitum cogitari potest, quia aeternitas Dei est infinita duratio, cui tempus successivum infinitum potest coextendi (intellige, quantum est ex parte aeternitatis), unde ipsa conceptum objectivum temporis infiniti substituit.

3. Itaque Deus non solum est causa existentium, ut actu sunt, sed etiam est fundamentum possibilium et totius esse, speciei, modi quem singula habent in esse objectivo. Quae sane consideratio mirifice extollit divinae essentiae majestatem et magnitudinem infinitam : sic enim ab illa non solum dependent omnia quae actu sunt, sed etiam omnia quae actu non sunt, nec solum secundum esse actuale, sed etiam secundum esse possibile et intelligibile, licet diverso modo; nam secundum esse actuale pendent a libero ejus influxu, ac proinde a libera ejus voluntate nulla naturali necessitate : secundum esse possibile pendent ab eo naturali necessitate ante omne decretum liberum. Hinc ulterius fit, ut sicut infinitudo essentiae non potest concipi a nobis nisi in ordine ad species rerum possibiles, nec immensitas nisi respectu spatii imaginarii possibilis; ita nec aeternitas nisi comparatione temporis imaginarii infiniti. (De Perfectionibus divinis, L. 4. c. 3. n. 15. 16.)

4. Nota. In objecto omnipotentiae divinae duplicem considerari posse possibilitatem : intrinsecam et extrinsecam, remotam et propinquam. *Intrinseca possibilitas* est aptitudo ipsius rei, seu non-repugnantia ad existendum. Eadem dici potest possibilitas remota : ratione enim hujus dicitur res possibilis, etiamsi non consideretur ulla potentia qua possit produci : sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus qui possit illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodo a Deo, non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, qua Deus rem illam in esse possibili producat, (esse enim possibile qua tale, non potest esse terminus productionis, nec potest habere causam effectivam), sed habet eam a Deo tanquam a causa quasi exemplari. Essentia enim divina, quatenus est tali modo imitabilis et communicabilis, est ratio per modum radicalis ideae, cur humana natura sit possibilis, et habeat tale esse objectivum et potentiale. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaque ipsa essentia est prima radix omnis

esse objectivi, et possibilitatis intrinsecae omnium possibilium : et omne esse objectivum possibilium pendet ab essentia divina tanquam a prima et originali omnium idea, a qua singula suam speciem et rationem conceptibilem in suo gradu et ordine varie limitatam habent, modo jam explicato.

Unde si Deus non esset, nihil esset possibile, nihil conceptibile, nihil intelligibile : nulla esset rationum conceptibilium repugnantia aut consensio; quia ipsae rationes conceptibiles nullo modo essent, nec haberent esse objectivum. Habent quidem nunc, quia suo modo sunt, formalem repugnantiam, camque habent per se et ex sua intrinseca et formali ratione; sed quia hanc rationem formalem habent radicaliter ex divina essentia tanquam a prima radice, cujus sunt tenues quaedam participationes vel imitationes, etiam suam repugnantiam ex eadem trahunt; sicut res quae existunt formaliter seipsis repugnant; sed effective habent hanc repugnantiam a Deo.

5. *Possibilitas extrinseca* est, quam res habent ratione omnipotentiae divinae, per quam possunt produci, et accipere esse actu. *Extrinsecam* voco; quia non concipitur ut quid intrinsecum rebus, sed ut denominatio extrinseca a potentia divina. Eadem dici potest possibilitas propinqua : quia posita divina potentia, res statim potest fieri, nec aliquid aliud ad ejus productionem requiritur, quam voluntas producentis.

Itaque omniaabilia continentur in essentia divina tanquam in originali radice, et quasi in exemplari virtuali et radicali; in sapientia tanquam in exemplari formali, in quo etiam existunt objective modo perfectissimo et illustrissimo : magis enim ibi fulgent, quam in suis naturis creatis; in potentia tanquam in causa effectrice : etsi enim haec non distinguantur ex parte rei distinctione actuali, habent tamen quamdam distinctionem virtuales, qua distinctis rebus respondent et aequipollent : unde ut a nobis concipi possunt, necessario illa distinguimus, et conceptibus distinctis apprehendimus.

Ex his considerationibus patet quanta sit divinae potentiae magnitudo et amplitudo, cum se extendat ad omnia quae sapientia divina extra se potest concipere; quae eadem omnia in ipsa essentiae infinitate eminenter continentur.

Dicit aliquis : Deus non potest aliquid facere nisi praevio aeterno decreto ; non enim potest in tempore aliquid novi decernere, novum decretum concipiendo, sicut homo et angelus multa de novo concipiunt et decernunt : atqui ab aeterno non decrevit alios mundos, vel alios angelos, aut homines, aut res aliquas alias creare, quam eas quas reipsa creavit vel in tempore creat, et in tempore non potest novum decretum seu novam voluntatem concipere; ergo non potest alia facere quam quae facit, vel se facturum absolute vel sub aliqua conditione decrevit.

Respondeo : Ex ista ratione non sequitur quod absolute non possit alia facere, sed solum quod non possit ex suppositione : quali modo non posse non repugnat omnipotentiae, quia solum est non posse secundum quid, et certo modo, qui involvit imperfectionem. Imperfectionis enim est posse aliquid reipsa facere contra decretum jam positum, vel concipere novum decretum in tempore. Quod autem Deus ex suppositione non possit alia

facere quam quæ reipsa facit, manifestum est intellectis terminis : hæc enim duo non possent simul stare : *Deus hoc facit, et tamen ab æterno non decrevit hoc facere, vel decrevit non facere.* Itaque quod ex suppositione non possit alia facere, non arguit imperfectionem, sed summam perfectionem. Quod autem absolute possit omnia, manifestum est, quia ipsius potentia extendit se ad omnia, et ut prior ratione suo decreto libero potest in æternitate quidvis decernere. Nec obstat quod decretum, v. g. de creādo mundo, semel positum non possit amplius tolli; quia quod non possit tolli, non provenit ex eo quod voluntas, ut prior natura, sit determinata ad illud decretum (cum semper maneat sic indeterminata, ac proinde libera, et indifferens, et potens non ponere hoc decretum), sed ex perfectione divinæ naturæ, quæ est omnino immutabilis. (De Perfectionibus divinis, L. 3. c. 2. n. 10. 11.)

6. Ut melius intelligatur quomodo Deus omnia eminenter contineat, et omnia in ipso existant et præexistant, explicandum est quænam ad eminentem complexionem seu continentiam requirantur.

In rebus creatis, ut aliud in alio eminenter contineri dicatur, duo requiri videntur. Primum est, ut id quod continet sit præstantioris naturæ quam id quod continetur. Si enim non est præstantius, non est ratio cur illud dicatur esse in eo eminentiori modo quam in seipso. Unde plantæ et animalia non dicuntur esse eminenter in semine, nec in causa sua univoca.

Alterum est, ut illud quod minus præstans est, aliquo modo in illo præstantiori reperiatur. Hoc autem fit potissimum quatuor modis. Primo, si res per seipsam sit in alia tanquam in sua causa. Esse enim productivum alterius, signum est, in eo id quod produci potest, contineri. Sic qualitates et accidentariæ perfectiones continentur in substantiis eminenter, ex quibus promanant : et res inferiores in virtute cælorum tanquam in causa universali, radii in sole, folia in arbore. Hic modus eo est perfectior, quo causa perfectius est productiva illius rei. Unde cum Deus res omnes producere queat perfectissimo modo (nimirum ut causa integra, et independens ab alterius ope, et solo voluntatis suæ nutu), idque secundum naturam, formam, rationes individuas, qualitates et modos omnes, consequens est res omnes in ipso perfectissime contineri.

Secundo, si sit in alia per quasdam sui similitudines. Sic omnia inferiora dicuntur contineri eminenter in intellectu, cum ea intelligit; quia sunt in ipso per suas notiones, quæ sunt expressæ species et imagines rerum intellectarum, per quas intellectus dicitur fieri ipsum intelligibile. Hoc modo Philosophi dicunt intellectum fieri omnia, et omnia in ipso existere. Ratione hujus continentia intellectus est causa exemplaris rerum ab ipso foris productarum.

Tertio, secundum vim agendi, vel extendendi se ad objecta; ut cum quidquid potest causa inferior, potest causa superior nobiliori modo. Hoc modo sensus externi continentur in interno eminenter, et sensus internus in intellectu. Nam intellectus percipit omnia quæ sensus interior, et nobiliori modo; et sensus interior quidquid sensus externi. Simili modo anima vegetativa plantarum continetur in sensitiva animalium, et hæc in intellectiva, et prudentiæ instinctus animalium in prudentia humana.

Quarto, secundum ordinationem et æstimationem, seu secundum rationem boni et appetibilis. Sic media sunt eminenter in causa finali; quia solum propter finem æstimantur, et ad illum ordinantur, et tota illorum bonitas ex fine pendet.

7. Hi quatuor modi perfectissime locum habent in Deo. Omnia enim sunt in ipso perfectissime et eminentissime tanquam in *causa efficiente*, ut dictum est, et tanquam in *causa exemplari*, ratione idearum, quæ sunt vivæ notiones et similitudines rerum; per quas et secundum quas ipse omnia produxit, ut ait DIONYSIUS L. de div. nom. cap. 3. §. 8., et tanquam in *causa finali*: omnia enim sicut natura sua sunt ab ipso, ita etiam sunt propter ipsum. Unde omnia nobis ad ipsum referenda: alioquin parum boni ex ipsis rebus percipiemus. Denique tanquam causæ particulares in universali. Hos modos insinuat DIONYS. L. de div. nom. c. 4. §. 10. Ἐν αὐτῷ πάντα ἀρχὴ παραδειγματικὴ, τελικὴ, ποιητικὴ, εἰδικὴ, στοιχειώδης, καὶ ἀπλῶς πάντα ἀρχὴ, πάντα συνοχὴ, πᾶν πέρας. In ipso, inquit, est omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementare, et simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus. Ubi quinque principiorum genera in Deo contineri ostendit, ita ut ipse sit principium omnis principii, et causa omnium causarum; nec tantum res ipsas in Deo eminenter contineri, sed etiam omnia rerum principia, et omnes causas. Unde passim vocat Deum ἀπεράχτων ἀρχὴν, principium omni principio superius et eminentius. Idem significat Apostolus cum ait: *Ex ipso, per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt omnia*; sic enim citat ibidem DIONYSIUS. *Ex ipso* designat primam et originalem causam efficientem; *per ipsum*, exemplarem; *ad ipsum*, finalem; *in ipso* causam sustentantem omnia veluti quidam fundus et fundamentum omnium, cui omnia innixa recumbunt. (De Perfectionibus divinis, L. 1. c. 4.)

PROPOSITIO II.

DEUS MUNDUM EX NIHILLO CREAVIT IN TEMPORE.

8. Omnis creatura initium habet, quia non ex substantia Dei, sed ex nihilo est. Imo secundum sanctorum Patrum sententiam, nec æterna retro esse potest. Docent enim creaturam suo conditori non posse esse coæternam:

S. AUGUSTINUS L. 12. de Civ. c. 13. n. 2. *Tempus quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas angelorum non transit in tempore... tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt, et ideo Creatori... coæterni esse non possunt.*

FULGENTIUS L. de fide ad Petrum c. 3. n. 23. *Hic Deus, qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis ut sint; non tamen sine initio, quia nulla creatura ejusdem naturæ est cujus est Trinitas, unus verus et bonus Deus, a quo creata sunt omnia. Hic indicat creaturam non posse carere initio durationis, quia non est naturæ divinæ sed ex nihilo.*

S. AMBROSIIUS L. 1. Hexameron c. 1. n. 2. *Quid tam inconveniens, quam ut æternitatem operis cum Dei omnipotentis æternitate conjungerent?*

S. BASILIUS L. 2. contra Eunomium. n. 17. *Nos autem aeternitatem creaturis tribuere, et Creatorem hac confessione privare, ejusdem amentiae dicimus.* Ante probaverat Filium esse aeternum; hinc infert non esse creaturam, ut volebat Eunomius. Rationem affert: quia sicuti repugnat Creatori non esse aeternum, ita creaturae repugnat esse aeternam. Dicit esse ejusdem amentiae, non quia utrumque est haereticum, sed quia utrumque ex natura rei involvit repugnantiam.

S. JOANNES DAMASCENUS L. 1. de fide, cap. 8. (opp. t. 1. p. 133. E. edit. Venet.) distinguens generationem et creationem, dicit, *generationem carere principio temporis, et esse aeternam, quia opus est naturae, et ex substantia Patris procedit. Creatio vero, inquit, cum sit opus divinae voluntatis, non est coaeterna Deo: quia quod ex non ente ad esse producitur, non est aptum natum esse coaeternum ei quod principio caret, et semper est.*

9. Quidam putant DAMASCENUM solum velle dicere, creaturae non esse necessarium aut connaturale, esse ab aeterno; sed prava translatione decipiuntur. Illud enim ὁ πέφυκε non recte vertitur, *non est natura comparatum, vel natura non postulat; sed non potest, ὁ δύναται*, ut passim *Argyropyllus* apud Aristotelem vertit; unde significat repugnantiam ex natura rei. Simili modo idem DAMASCENUS paulo ante dixerat, quod divina natura ὁ πέφυκεν ὑπομένειν πάθος ἢ βεῦσιν, ubi non vult dicere, ei non esse naturale, sustinere passionem aut defluxionem, sed ipsam non esse aptam seu capacem passionis. Ex quibus patet, ex sanctorum Patrum sententia, repugnare naturae creatae; ut sit coaeterna suo Conditori. Et quamvis difficile sit hujus rei causam afferre, eo quod rationem infiniti non satis perspectam habemus; tamen per se est rationi valde consentaneum, nec creatura ulla in re possit aequari suo Conditori, nec possit ei dicere: Ante me non exististi, tam antiquus sum quam tu, et Filius tuus. Deinde ratio creaturae videtur involvere ut antea non fuerit. Hinc Patres Graeci definiunt creationem, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι προαγωγήν, *ex non ente ad esse productionem.*

Et S. AUGUSTINUS L. contra Felicianum Arianum cap. 7. (in append. t. 8.) ex definitione creaturae probat Filium non esse creaturam. *Creatura, inquit, est ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cujuslibet corruptibilis, quantum in se est, per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia. Haec definitio, utrum in Dei cadat Filium videamus, etc.*

10. Itaque omnes isti volunt, de ratione creationis et productionis ex nihilo esse, ut res producta aliquando non fuerit. Et sane si Ariani putassent creaturam posse esse Deo coaeternam, facile dixissent Filium esse quidem creaturam, sed creaturam aeternam; et sic amovissent a se praecipuam sui erroris invidiam. Maxime enim offendebat, quod dicerent fuisse aliquando tempus, nempe imaginarium, quo Filius non erat: idque putabant omnino sequi ex sua sententia, qua statuebant esse creaturam. Praeterea, si aliquid fuisset a Deo conditum ab aeterno, ejus creatio non fuisset peracta momento, sed aeterno tempore durare debuisset; nec Deus potuisset rem illam in nihilum redigere, aut influxum suum subtrahere, nisi postquam res illa aeterno

tempore durasset; quod sane videtur absurdum, nec mens ullo modo potest concipere. Denique sicut creaturae repugnat immensitas, per quam coextendatur omnibus spatiis locorum; cur non etiam aeternitas, per quam omnibus spatiis temporum? quia par est ratio, imo hoc videtur conceptu difficilius.

11. Nec obstat quod Deus ab aeterno habuerit omnem suam potentiam, et potuerit habere voluntatem illam liberam creandi; ubi autem adest potestas et voluntas, ibi quoque sit effectus. Nam simili modo in omni parte spatii per totam immensitatem locorum adest illi sua omnipotentia et voluntas libera, et tamen non potest creari aliqua creatura, quae totum illud immensum impleat: causa est quia id repugnat naturae creatae. Recte tamen convincit illud argumentum, in quovis momento temporis imaginarii, quantumvis hinc retrorsum distante, potuisse fieri creaturam, et ante: sicut in quovis puncto loci imaginarii potest fieri, et ulterius. Et hoc sufficit ad ipsius omnipotentiam immensam et aeternam asserendam. Ex quibus manifestum videtur, eos qui docent potuisse aliquam creaturam permanentem esse ab aeterno, seu mundum ab aeterno esse conditum, non tamen posse fieri corpus immensum, aut qualitatem infinite intensam, aut numerum rerum actu infinitum, non loqui consequenter, cum eadem sit in his omnibus ratio. (De Perfectionibus divinis, L. 4. c. 2. n. 8-11.)

PROPOSITIO III.

DEUS OMNIA POSITIVE CONSERVAT.

12. Non satis est Deum creaturam semel fecisse, sed opus est assidua conservatione ut in esse permaneat. Itaque totus ille impetus et influxus, quem primo creationis momento praestitit, ut rem ex nihilo in lucem et speciem excitaret, debet indesinenter continuari, omnibusque momentis dari; alioquin si vel unico temporis puncto intermittatur, tota creatura funditus peribit, et in suum nihilum, unde emerit, relabetur. Sicut ut mundus illustretur, non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed necesse est ut illud assidue conservet, continuando primum influxum. Si enim vel unico momento vim suam cohiberet, repente totum lumen extingueretur. Similiter si pondus aliquod in aere manū suspendas, illud assidue sursum teneri, et eodem impetu ibi conservari debet, quo ab initio ibi est suspensum. Idem cernitur in speciebus visibilibus, et in actibus vitalibus.

Hinc rursum oritur summum jus Deo in creaturam. Quod enim potest jus majus animo concipi, quam posse omnia in nihilum reducere, sola cessatione operationis et beneficentiae? Nam quid est quod Deum cogit hunc beneficium et substantificum influxum continuare? cui debitor est ut hunc semper praestet? Itaque omni momento potest illum sistere et cohibere; quod si faciat, ruet tota hujus mundi machina in suum centrum, hoc est in nihilum, et evanescet omnis rerum natura.

Porro ne quis de hac rerum mirabili a Deo dependentia assidue dubitet, aut considerata earum soliditate et firmitate putet eas semel factas posse per se consistere; ostendam illud non esse philosophicam speculationem vel opi-